



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 32. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. v. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

secratione sacerdotum habet, examinandum controversiarum scriptoribus relinquitur, ego pietati excolendæ nunc intentus omitto. Cesset itaque sanguis taurorum & hircorum, ut Apostolus docet, qui in sacrificiis offerri solebat, sanguis vero filii Dei unigeniti deinceps offeratur ad placandum Deum: non enim ultra adhibebitur sanguinis animantium aspersio, quæ animam abluere nequit, sed aspersio sanguinis Dominici eiusdemque cum carne sumptio mundabit conscientias hominum.

O Stupenda sapientia Dei quæ hunc subtilem & salutarem nostram pro salute modum instituit atque sancivit. In hoc enim dignissimo Sacramento quidquid vel cogitari vel desiderari potest, accipitur. Enimvero sumitur hic verus Dei filius Iesus Christus verus Deus & homo verus, semper unum existens cum Patre & spiritu sancto. Et quidquid demum virtutis ac meriti Christus in vita & Passione sua exercuit obtinuitque id omne hic percipitur ab anima digne preparata: imo & paratus est dulcis Iesus cunctas has virtutes per piissimam & largissimam bonitatem suam donare nobis, perinde ac si nosmet ipsi earum Domini essemus. Festinemus igitur omni studio expugnare corda nostra ab omni inquinamento peccati, & exornare virtutibus & operibus bonis ut cibum hunc salutariferum semper accipere idonei ac digni simus ad æternam gloriam benignissimi Creatoris, Amen.

§. 32. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. v. 29.

Hic Christus inuere videtur gloriosam suam resurrectionem, & regnum Patris sui in terris inchoandum, in cælo consummandum quod autem asserit, se non bibiturum de hoc genimine vitis ante illud regnum Patris, multiplicem capit explicationem & sensum, potest enim proprie intelligi de vino non consecrato, de quo iusserant bibere Apostoli & secundum Marcum biberunt; & potest improprie intelligi de vino Transsubstantiato, quod apparenter erat genimen vitis, utrovis modo sumas, certe Dominus mortem suam vicinam & regnum patris affirmat: quia ultimum dicebat esse quod cum ipsis biberet, & tamen novum in regno patris, hoc est post resurrectionem cum iisdem bibiturum, novum id est, novo modo, quod non amplius biberet in carne passibilis & mortalis sed impassibilis & immortalis.

O Domine vera sunt omnia quæ dixisti, illa enim confirmasti nimis, largire quoque mihi hanc gratiam quam discipulis largitus es, ut & ego tecum hic bibam, vinumque non consecratum ita moderate sumam ut nunquam

quam abutar, ne excludar à regni tui dulcedine, nec vinum consecratum hoc est sanguinem tuum in missa offerendo & bibendo ad damnationem sed ad salutem meam & gloriam tuam semper suscipiam, æternum in gloriosissimo regno patris tui victurus.

§. 33. Et hymno dicto exierunt in montem oliueti. v. 30.

Ostendit hic Christus quod licet in omnibus & pro omnibus semper debeamus Deo gratias agere, tamen ad imitationem eius, id tum vel maxime adimplendum quando cibo vivifici salutari, scilicet pretioso corpore & sanguine ipsius in Venerabili Sacramento refecti sumus. Christus enim non nisi hymno dicto post sumptam Communionem exivit. & quis mihi dicet quis iste fuerit Hymnus? ex praxi sanctæ matris Ecclesiæ, Christi sponsæ & consociæ secretorum, credo Trium puerorum Hymnum fuisse illum quem Christus & Apostoli tunc dixerunt, & hodie sacerdotes post missam dicunt. Exivit autem ad montem oliueti, ut initium passionis suæ faceret, non prius quam se communionem sacra refecisset, ut intelligamus ex eius exemplo nos sic munire oportere sacra Communionem, quoties grave aliquod negotium aggredimur, aut mortis periculum subeundum est, aut iter periculosum suscipiendum: tunc enim quasi ultimo illo viatico nobis provideamus oportet, ut illi, in quo omnia parata habemus, cuncta committamus.

O Domine adjuva quæso me famulum tuum, ut omni momento tibi pro acceptis beneficiis gratias agam & comprimis quando corpus & sanguinem tuum in Sacramento altaris sumpsi, fac quoque ut nunquam negotium grave arripiam, nunquam periculoso itineri me committam, absque sumpto viatico pretiosi corporis & sanguinis dilecti filii tui, ut illo duce & Comite ubique fruam, omnia agam, & à malo conserver, nunc & in hora mortis meæ. Amen.

§. 34. Tunc dicit illis Iesus: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. v. 31.

Ad hoc verbum quantum putas conterritos esse auditores? maxime in verbo scandalum tristabantur boni discipuli inter se dicentes haud dubie cogitabant: quomodo potest hoc fieri, ut nos scandalizemur in ipso, quem scimus, novimus, esse filiū Dei vivi? vidimus & audivimus docentem & operantem omnia secundum Deum perfectissime, legem & prophetas honorantem, atque in omni genere virtutum, & morum excellentem, neque enim mendacium, neque dolus inventus est in ore eius atque his & similibus cogitationibus occupabantur corda eorum præsertim ad verbum *in ista*